

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Speculum Quaestionum moralium, in universam Aristotelis philosophi summi Ethicen**

**Case, John**

**Francofurtum, 1597**

**VD16 C 1242**

Cap. XI. - An spectet ad moralem philosophum de Voluptate & dolore  
disputare. [...]

[urn:nbn:de:bsz:31-109038](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-109038)

Opp. contra secundam quaestionem.

*Nemo est vitiosus à natura, ergò nemo est incontinens à natura: Antecedens est in secundo Ethic.*

Resp.

*Incontinentia pro affectu propterea, non pro vitio sumitur.*

An melancholici incontinentes facilius curentur? Dub.

Opp.

*Melancholici sunt pravae opinionis tenacissimi ergò facilius non curantur.*

Resp.

Melancholici } *Naturaliter, & sic facile curantur.*  
*Violenter, ut ex curâ, morbo, studio,*  
*et fiunt, vel* } *&c. & sic non facile à sua opinione dimouentur.*

CAP. XI.

*An spectet ad moralem philosophum de Voluptate & dolore disputare.*

*An voluptas sit bonum per se?*

**V**NA est in hoc breui capite conclusio opinioq; philosoph. multiplex de voluptate & dolore. Conclusio est, quod officium ciuilibus philosophi sit de voluptate & dolore praecipua tradere.

Ratio.

Quaestio prima



Rationes istius conclusionis tres sunt: I. quia finis vltimus humani generis coniunctus est cum voluptate: secunda. quia omnis virtus humana circa voluptatem & dolorem versatur: Postrema, quia per voluptatem & dolorem veluti per quaedam signa, an actio sit bona vel mala auguramur. Opiniones quoque tres enumerantur: prima eorum qui nullam voluptatem, vel per se, vel propter aliud in bonis, secunda eorum qui aliquot voluptates in bonis, aliquot in malis, vltima eorum, qui omnes in bonis esse statuerunt. His positis à definitione, voluptatem nec finem, nec bonum per se & vi sua esse contendit. Quippè si voluptas sit nihil aliud quàm delectabilis veluti pulsus, quo natura perfunditur, vt in edificando nulla artificis actio ipsa domus, ita in progrediendo ad finem nullus motus voluptatis finis aut bonum dicitur. Qui enim fieri potest, vt concupiscentia, quam fugit temperans, quam pueri & belluæ sitiunt & persequuntur, aut finis aut boni rationem subeat?

*Distin.*

Opiniones  
tres de voluptate.



*Distinctio.*

Moralis philo- sophi officium est voluptates & dolores co- gnoscere pro- pter.	}	Certam directionē actionis, Moderationem ap- petitus Conseruationē na- turae & virtutis.	}	quae sine vo- luptate diu esse aut con- seruari ne- queunt.
---	---	---	---	---

Bonum est } Per se vt virtus.  
aut } Per accidens, vt voluptas inferuiēs virtuti

**Opp. contra primam quaestionem.**

*Voluptas & dolor naturam spectant, ergo à natura  
hi philosopho tractarentur. Antecedens est in septimo li-  
bro physic.*

*Resp.*

Consideran- tur vel	}	Simpliciter respectu natura, & sic à naturali philosopho. Comparatè respectu virtutis & sic à morali definiuntur.
------------------------	---	--

**Opp.**

*Satis de istis egit philosophus in secundo libro: ergo  
hic hallucinatur.*

*Resp.*

*Illic de illis vt de communibus obiectis, hic vt de  
principijs agit.*

**An voluptas sit motus delectabilis?**

**Opp.**

*Voluptas sub nullo genere motus comprehenditur,  
ergo non est motus.*

*Resp.*

*Motus hic pro affectu sumitur.*

CAP